

ni decretorii erant muniti, ne priuatum quidem exercitium vellent concedere, neque spes superesset, eos in aliam concessuros esse sententiam, tum demum necessitate, matre nouarum inuentionum admodum foecunda, eo videntur fuisse adacti, vt de tertia specie cogitarent, puta domestica; hanc enim non ita nominabant quidem, at per partes eundo describebant, et a cultu Dei priuato aperte distinguebant. (§. 5.) Et licet post haec subinde priuatum Exercitium cum domestico confundi, certe vtraque species a se inuicem non curate satis distingui videatur, in vltimis tamen Proiectis aequae ac in ipso Instrumenti Pacis textu euidenter tres iterum constituuntur Religionis Exercitii classes: etenim fit mentio 1) eorum, qui A. 1624. publicum Religionis exercitium obtinuerunt, 2) eorum, qui priuato, et denique 3) eorum, qui neutro gauisi sunt. Et quamuis haec non tam ad ipsum Religionis exercitium, quam ad certa hominum genera, habitamque ab iis in Anno decretorio possessionem vel non habitam pertinere prima fronte videantur, nullum tamen est dubium, quin, prout mox sub initium Tractatum triplicem Exercitii Religionis speciem indubie constituere Euangelici, ita et hic eo respexerint, et pro diuerso statu possidentium in Anno decretorio vel non possidentium siue liberius, siue restrictius Religionis exercitium pro ipsis pacti fuerint, id quod eo magis extra omne dubium positum videbitur ei, qui nouit, quantus sit fauor in Instrumento Pacis Anni decretorii, qui sane non patitur, vt eorum, qui in Anno illo decretorio priuatum Religionis cultum exercebant, et eorum, qui nullo plane exercitio utebantur, iura sint paria. Magni vero momenti obseruationem hanc esse in tristi et decantata emigrationis materia, suo loco apparebit.